

d. 88, 2.

XXIII.

Yc
4410

ORATIO

De

LAUDIBUS

LIPSIAE,

Quam

SCRIPSIT

&

publicè

BIBLIOTH. PONIKAJANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
LEIPZIG

RECITAVIT

ANNO dō Isc LXIII.

Athenis Philyreis

JOHANNES PHILIPPUS Lindner/

Lipsiens.

LIPSIÆ,

Typis Viduæ HENNINGI COLERI.



21

(X2079028)



Inclutæ Reipublicæ Lipsiensis
Patribus Conscriptis,

V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consul-
tissimis, Prudentissimis atq; Clarissimis*

Dnn. Consulibus,

Pro-Consulibus, Prætoribus, Æ-
dilibus, nec non Reliquis Ordinis Sena-
torii Adfessoribus,

*Dnn. Mæcenatibus, Patronis, ac Promotoribus
Certissimis, æ viternum Colendis*

Præfens hoc Exercitium Oratorium

Gratitudinis & Observantiæ

testem affert, offert

devinctissimus clientulus

A U T O R.



Patriam, Viri Honoratis-

simi, Tuque Dilectissima Studiosæ Juventutis Corona, patriam, inquam, diligunt omnes boni: & quidem sic amant, ut supremum affectum consequatur per laudatio, quibusvis aliis locis aut regionibus, quacunque sint præstantiâ, dignitate, honore, vilius æstimatis, frigidius laudatis. Exempli loco sint Chineses, potentissimus extremæ Asiæ populus, qui eò feruntur esse ingenio, ut reliquos mortales omnes, tanquam rudes, inertes, barbaros altò arrogantique superciliò despiciant, se verò suaque omnia magnificè prædicent, & exquisitis laudibus gloriosè prosequantur.

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Ovid. de
Pont. l. i.
El. 4.

Equidem tantum abest, ut ipse egomet patriæ charitatem omnibus aliis charitatibus non antehabeat, ut etiam si parat, si patriæ intersit, quicquid spiritus & virium à Deo datum est mihi, omne id in illi⁹ salute, incolumitate & laudibus non occupare modo, sed, si res poscat, absumere. Verum negotium aliud hoc loco agitur, patriæque prærogativam jam non affectu nostro, sed illius meritis metiri nos decet. Mihi autem liquent patriæ nostræ laudes quâ plurimæ. Et quemadmodum papicolæ vanâ decepti superstitione somniant, tantam esse papæ amplitudinem atque majestatem, ut perquam difficile sit illam defini-

Bellarm. in
Resp. ad
Gerhard.
Confid.

rire: sic ego, sed luculentâ rei veritate eruditus, audacter
asseverare possum, tantam laudum Lipsiæ nostræ un-
diqve regnare multitudinem, ut verba satis digna &
sufficiencia non inveniam, quibus illam possum de-
scribere. Verum, ut paucis multa complectar, men-
tem meam nudè, ut Germanum decet, explicò tribus
verbis: **LIPSIÆ MISNIÆ PRINCEPS.** Quod
candidè dico, & ne unquam mihi aliquid ex sententia,
nisi hoc animi ex sententia, dico. Ad cuius meæ sententiæ
confirmationē Oratoriâ nullam, pigmenta nulla, nullas
Eloquentiæ opes, aut Svadæ thesauros desidero; nec
etiam aurea Veterum Oratorum flumina vacuis votis
evoco, quorum vis *Ἰπὶ τὸ πλεῖστον* in causis dubiis & de-
speratis præpollebat: sed hoc magis mihi attendendum
& evigilatis consiliis elaborandum est, ut ex immen-
sa rerum pulcherrimarum & nobilissimarum copia,
quam difficulter Orationis modus capere queat, ve-
rissimarum & debitarum laudum vel summa tantum
capita compendiosè & breviter decerpam. Huic ve-
rò rei dum majori affectu, quàm effecta fortè incum-
bo, quæso vos, Auditores Honoratissimi & Dile-
ctissimi, adhibete mihi non aures solum, sed etiam
animos, & vela hæc, ut sic dicam, orationis meæ Ze-
phyrò benevolentiae vestræ afflate, ut, his secundis ve-
lut provecta ventis, portum, quem sibi proposuit,
tantò facilius consequatur. Ego, si minùs rerum
pondere aut verborum elegantia vobis placuero, at bre-
vitate tamen placere annitar. Sed ubi primum in lau-
dum sylvam ingrediar? Et quod Lipsiæ decus indicabo
primum? An delectat aliquem inæstimabilis situs?
Mira hîc est amœnitas, mira aëris clementia, mira soli
fœcunditas. Qui enim Lipsiam oculis minimè ad-
livo-

hydrem contortis perambulaverunt, testimonium di-
 cent non inviti, cum esse Lipsiæ situm, ut non possit
 esse nitidior. Posita enim est in optima parte, cœlo
 quàm maximè salubri, benignò ac temperatò eam am-
 biente. Tribus nobilioribus fluviis (unde Tripota-
 mus Dressero dicta) est dotata, nimirum Elistrò, Plisnâ,
 & Parthâ, quorum singulares dotes, tametsi præconiò
 laudū speciatim illustrare dignitas postulat, tamen, quia
 postulat non flagitat, in præsens præteribo. Pratorum in-
 super ea est luxuria, ut ob graminis altitudinē præcedentē
 currum sæpe posterior non videat, & agrorum ea est
 fertilitas, ut frumentum non possit crescere copiosius. Strab. Li. 4.
 Laudes igitur, quas olim Strabo & Plinius Narbonen- Plin. H. N.
 si Provinciæ, & Salvianus Aquitaniæ tribuebant, Lib. 3. C. 4.
 ego jure hodie adscripserim Lipsiæ, & dixerim, ipsam Salv. Lib. 7.
 esse medullam Misniæ, & ubertotius fœcunditatis, de Gub.
 nec solum fœcunditatis, sed, quæ præponi interdum
 fœcunditati solent, etiam jucunditatis, voluptatis,
 pulchritudinis. Sed Lipsienses quoque Lipsiâ suâ di-
 gnissimos laudatum eo; quorum si multitudinem o-
 culorum meorum radiis intuear, undique ad miracula Prov. XIV,
 animus & lingua fatiscunt. Salomonis Regis oracu- v. 28.
 lum veneror, ut Sapientiæ genimen: in multitudine,
 inquit, Regis Dignitas, in paucitate plebis ignominia Gen. XXII.
 principis. Quæ etiam causa fuit, quare Deus Abra-
 hamum exaltaturus promitteret ei fore, ut posteritas
 illius in tantum excresceret populum, cuius numerus non
 magis, quàm stellarum cœli, aut arenæ maris iniri pos- Lib. 7. §. 3.
 sit. Et D. Hadriani rescriptum ignobile non est, a- ff. de bon.
 pud quem favorabilem causam liberorum Albini fi- damn.
 liorum numerus fecit: cum ampliari imperium homi-
 num adjectione potius, quàm pecuniarum copiâ mal-
 let.

let. At quis Lipsiæ est angulus, quæ loca in ulla ejus parte offendi possunt, quæ frequentia hominum non obumbret, quæ gentium hinc inde commeantium & discurrentium copiarum non occupent? Nulla hic solitudo, nihil vacuum, & desertum nihil est. Omnes plateæ ædificiis repletæ, vixque transeunti aliquid ex oculis elabatur. Et sicuti in formicarum receptaculis domiciliisque nihil est inane, sed omnia solertissimò animalculò in cumulos sine numero perpetuò circumrepente sunt plenissima: ita Lipsia tot hominibus expleta, & ubique populus est immensus. Cum verò omnia insuper mihi singulari quadam laude digna videntur, quæ in hac florentissima urbe reperiuntur, tum nihil egregium magis, nihil divinius, nihil omnium rerum melius esse existimo, quàm sub optimo indulgentissimoq; Patre Patriæ tranquillitatem publicam. Quid enim sine hac bonum, quid expetendum & quid pretiosum magis? Adhuc autem.

Moribus antiquis certè stat Lipsia nostra,

Non enim jam motu est dissoluta, non labefactata; nec perfracta: non nutat, non corrui, nec ad pedes miserè jacet. Cuncti cives sibi invicem manus porrigunt, conjunctis viribus pariter libertatis remum ducunt, dimicando Leges tueri & conservare conantur; non, vela ventis permittentes, turbulentâ quadam tempestate se infestant, nec fluctibus jactari & frangi securi patiuntur. Licet quoque hæc urbs nostra non semper fuerit libera & tranquilla, tamen quoad longissimè potest mens mea respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens video hanc fuisse liberam atq; tranquillâ. Hæc urbs est adhuc florentissima, felicissima, integerrima.

gerrima. Et sicut vas Creticò vinò plenum ex omni parte, si reclinatur, dulcissimum fundit liqvorem: ita Lipsia nostra omne genus divitiis infercta, veluti ex cornu copiae quaquaversum misilia luxuriantis fortunæ longè lateqve hætenus dispersit ac disseminavit.

Nam tantum hæc alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Virg. Ecl. I.

Felicissimæ huic civitati nullò jam hostis, more lupi esurientis, inhiat, non cives quasi murænas exoffare cogitat, non æraria exenterat, non divitiis omnibus exuere laborat. Adsunt majorum privilegia, atqve immunitates, quas digitulò saltem lædere vetat dignitas, prohibet honestas. Nusquam & nunquam deniqve voce illâ, quæ audienti vel cerebrum excutiat, conterremur:

— — Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.

Sed quis objicit mihi dicens: sine literis estis. Fuimus nosmet quidem olim sine literis, fuimus, inquam; sed hodiè alia Germaniæ, alia Lipsiæ meæ facies est. Penè dixeram, apud nos

Et pueri nasum rhinocerotis habent.

In Elog.
Doct. Vir.
ad fin.

Nec immeritò hoc Pauli Jovii de Lipsia nostra, quòd ille de tota Germania, possum exclamare: Literæ non Latinæ modò, sed Græcæ & Hebraicæ quoque in Lipsiam fatali commigratione transierunt. Neque enim contenta illa suâ vetere militiæ laude, quâ Martium decus, Romanis gentium victoribus ereptum, stabili disciplinæ severitate feliciter tuetur; ipsa etiam pacis ornamenta, Literas, Optimasque Artes decoquenti Gæciæ ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulit. Quid enim dicam de Academia nostra laudanda-

Be. Carpz.
in Constit.
l. 2. t. 25. d.
396. n. 5. & 9

datissima? Certè est Musarum templum, Optimarum
Artium officina, Sapientiæ diversorium, Literarum
palæstra, Schola Scholarum, sedes Doctrinarum, no-
bilibium ingeniorum cultrix & altrix, & tam antiqvi-
tatis, quàm autoritatis ratione, primas tenet inter Aca-
demias Statuum Imperii Evangelicorum. Nititur ea
& Pontificis & Imperatoris Romani autoritate, ut
quæ per Fridericum I. ex Familia Marchionum Misni-
ensium, Electorem Saxoniae condita, primum Anno
supra millesimum quadingentesimo octavo privilegiis
à Pio II. Pontifice Romano munita, & postea Anno
supra millesimum quadingentesimo duodecimo ab A-
lexandro V. corroborata, demum verò Anno supra
millesimum quingentesimo quadragesimo septimo ab
Imperatore Carolo V. confirmata, pluribusque privi-
legiis fuerit donata. Atque, ut amor Literarum nihil
remitteret, sed magis Dignitatum pabulo aleretur, hæc
Academia consuetudine Titulorum, solennibus Bacca-
laureorum, Magistrorum & Doctorum creandorum
ritibus fuit cohonestata. Quæ Honorum escâ illecti
bonæ mentis & famæ candidati, tantâ diligentia &
contentione in Studio Academico decurrerunt po-
stea, ut intra ducentorum & viginti Annorum spa-
tium à Philosophico duntaxat Collegio lauru Bacca-
laurei tredecies mille centum & quadraginta, Magiste-
rii verò titulo quater mille, centum & octoginta or-
natos constet. Et cognoscite, mei Auditores, fer-
vorem, atque inexplebile discendi desiderium Lipsiæ
nostræ nobilissimæ. Non solum enim Gradus Hono-
rum in hac Academia inferioris conditionis homi-
nes, sed etiam Nobiles sunt consequuti. Quid Nobi-
les verò memoro? Etiam Barones, & Comites, etiam
Prin-

Principēs, dulcissimō Literarum Nectarē in ipsarum amore rapti, Baccalaurei, Magistri aut Doctoris titulos non minori studiō, & assiduitate aucupabantur, quā si cum Jasone aureum vellus ad Colchos essent capturi. Aliquot centurias Principum, Episcoporum, Nobiliūmqve, qui Doctoris, Magistri aut Licentiati titulos acceperunt, jam producere vellem, nisi ad alia properaret oratio. Baccalaureos tamen duosē Magnatib9 habete. Johannes, Princeps Anhaltiæ, Artium studia eō dignatus est honore, ut non tantū ipse adolescens primi Gradūs laurum hīc Lipsiæ sumeret, verū etiam insignia, quæ Baccalaureos ab aliis Ordinibus distingvunt, publicè per plateas gestaret. Abbas quidam Coloniensis inter omnes Dignitates & Honores, tum variis legationibus, tum variis expeditionibus, muneribus & laboribus partos, primas quoque hīc loci detulit titulo Baccalaurei: quia illum non Generis & Principum blandimentis, sed solis ingenii virib9 in Academia hac sibi propriè comparasset. At quis, Auditores, in tanto Literariæ Gloriæ splendore Lipsiam jam dicere illiteratam ausit, nisi impudenter effrons? Agite verò, Auditores, conferte in Honorem palmaris Literaturæ sinceros benevolentiae affectūs, ac permittite, ut, velut in diribitorium producā splendidissima, atqve immortalitati illustribus præconiis tradenda nomina, i e: Sipientiæ Megistanes, partim publico bono adhuc superstites, partim malo publico maturiūs denatos, universos præcipua Lipsiæ nostræ Ornamenta. Et ne in infinitum abeam, ex infinito propemodum numero quasi per futuram, ut quisque se ingesserit memoriæ meæ prius, & quidem ex uberrimis singularum Facultatum copiis a-

B

liquot

liquet duntaxat proferam, quos gratius sit audivisse,
quam olim apud Romanos vidisse consulem trium-
phantem. Præter illum igitur nunquam laudandum
satis JOHANNEM PFEFFINGERUM, primum post
Reformationem Lutheranam Superintendentem dilau-
do ex Theologorum ordine Nicolaum Selnecke-
rum, Georgium Weinrichium, Cornelium
Beccerum, Johan. Höpnerum, Vincentium
Schmuckium, Polycarpum Leyserum, Chri-
stianum Langium, admirandum & in cœlum laudi-
bus extollendum Johannem Hülsemannum (qui
teste Excellentissimò THOMASIÒ, non inani verborum
& in auras diffugiturò sonitu mulcere aures didicerat;
sed cujus concionibus mirâ suavitate conditis, jam lac
pro simplicibus, jam cibus solidus pro adultis,
jam medicina suberat pro ægrotis (Johannem
Benedictum Carpzovium, Martinum Gei-
erum, ipsâ humanitate humaniorem Hiero-
nymum Kromäyerum, & Samuelem Lan-
gium nostrum, orbitas patrias pede legentem soli-
citò. Ex honorifica Politicorum & JCtorum classe
appello nominatim Johannē Homelium, Fran-
ciscum Krammium, Andream Scheferum,
Johannem Meyerum, Modestinum Pistori-
um, Jacobum Thomingium, Proavum Avum-
que meum Maternum (quorum memoria mihi lacru-
mas

mas elicit) Johannem Cordesium & Johannem Zabelium, Michäelem Wirthium, Matthiam Berlichium, Incomparabilem Carpzovium, Georgium Tobiam Schwendendörferum, Quirinum Schacherum, & Franciscum Romanum. Porro ex celebri Medicorum tribu deprædico Michäelem Barthium, Balthasarum Gittlerum, Johannem Albinum, Andream Emmenium, Rupertum Sulzbergerum, Johannem Heinzium, Johannem Zeidlérum, & Johannem Michäelem, utriusque Medicinæ, Dogmaticæ & Chymicæ peritissimum. Deinde ex Philosophorum concilio seligo Johannem Fridericum, Cunradum Bavarum, Andream Corvinum, Zachariam Schneiderum, Venerandum meum Præceptorem Johannē Hornschuchium, Andream Rivinum, Fridericum Leibnüzium, Gottofredum Schlutterum, Johannem Ittigium, Christianum Fridericum Franckensteinium, Fridericum Rappoltum, Jacobum Thomasius, Johannem Sigismundum Schwenckium ac Davidem Schwerdnerum. Et speciatim ex Mathematicis

allego nobilissimos illos duos Philippum Müllerum
 atque Johannem Kühnium. Verum commate me-
 moriæ meæ torrentem sisto. Quantum enim docto-
 rum Lipsiensium exercitum nunquam desinentem ad-
 huc animo prospicio? Et quantum dixi? Profecto
 dixi parum, & forte pro re nata paulò plus, quàm ni-
 hil. Adeò disseminata & sparsa est diviña & beatis-
 sima ingeniorum Lipsiensium fertilitas. Ergo Lipsien-
 ses in Literaria Republica nullis secundi, &, cum bona
 gratia aliorum dixerim, omnium sunt primi. Eant ve-
 rò calumniarum artifices, mendaciorum institores, per-
 fricent os, &, si quæ pudoris supersunt reliquæ, ma-
 ledicè eructent, & despuant illud: Lipsienses sunt im-
 probi. At generosa illa καλοκέραια urbis nostræ qs. ar-
 bor est floridissima, quæ in omnes partes pulcherri-
 mos Virtutum ramos, fructibus onustos & pendulos
 projicit: ingrati sumus, nisi aliquid decerpamus & lega-
 mus. Castitas igitur & pudicitia, quæ, sententiâ Æ-
 gidii Sodalis Franciscani, est veluti illustre speculum,
 sed quod solo anhelitu infici ac maculari potest, ubi
 terrarum quæso est integrior? Ubi gentium est inconta-
 minatior?

Hor. Carm.
 I. IV. O. V.

Nullis polluitur casta domus stupris:

Mos & lex maculosum edomuit nefas:

Laudantur simili prole puerperæ:

Culpam pœna premit comes.

Venusque illicita tam est odiosa, ut nothis non
 tantum viam Literarios ad Honores, sed & in opifi-
 ciis exercendis libertatem, quæ legitimè nati fruuntur,
 penitus intercludat. O exemplum omni seculo memo-
 rabile! O adfectus cœlò digni! Saltu nunc trajicia
 mus

mus in alium probitatis ramum, qui est modestia; non
 quidem illa Imperatoris Caroli V. nec Imperatoris Thuan. H.
 Friderici IV. nec Friderici Electoris Saxoniae, nec Jo- L. 16.
 hannis Gropperi: sed illa modestia, quae est in cultu, Schleid. de
 quem, uti non contemnunt probi Lipsienses omnem, Statu Relig.
 ita ejus apparatu Virtutes non metiuntur, minus men- Lib. I. p. m.
 tiuntur. Et longus sum, si caetera Lipsiae nostrae or- 25. Thuan.
 namenta sigillatim persequi velim. Quibus enim lau- ibid.
 dibus prosequar Magnificentissimum **Judiciū Pro-**
vinciale, in quo unus extat ex equestri ordine, Pri-
 marius Judex, tres nobili loco nati, & totidem Icti
 Assessores, quatuor ordinarii Advocati ad ordinan-
 das causas, & praeterea duo nobiles, totidemq; Icti
 ad causas amicabili compositione peragendas? Quid
 de Reverendissimo **Consistorio** in medium proferā?
 Quid de Amplissima **Facultate Juridica**? Quid de
Scabinatu Nobilissimo? **Quod Senatus Specta-**
bilis decus indicabo primum? De his certè satius est si-
 lere, quam pauca dicere. Insignia enim haec omnia
 sunt ornamenta & adjumenta urbis Lipsiae, per haec
 enim **Judicia Justitiae & Disciplinae civilis cultus est in-**
vectus. Politico Status benè est conformatus, & in cun-
ctis ordinibus consensus, pietatisque & honestatis stu-
dium praedicatione dignum elucet. Senatus augere
& amplificare studet Rempublicam tam Justitiā &
bonis moribus, quam opibus & emolumentis ad vi-
ctum cultumque corporis pertinentibus, tum praediis
etiam & fundis. Viris insuper instructus est Nobili-
tate Generis, Magnificentia Officiorum, Eminentia
Dignitatis, Consiliorum Gravitate, Prudentiae guber-
nandae

nandæ Reipubl. Excellentiâ Florentissimis, Amplis-
mis. Quanto enim ornamento huic urbi nostræ sit
Laurentius Noster, quis adeò hospes est in hac urbe,
qui ignoret? Quantas utilitates Reipublicæ attulerint
præcipua duo Lumina, Kühleweinius & Pinc-
kertus, omnium civium ora unanimiter contestā-
tur. Quantâ diligentia & fidelitate (ut de Prætorum
& Ædilium nostrorum dexteritate nihil dicam) Salu-
ti Publicæ Philippi & Wagnerus nostri consu-
lant, sole meridianò clariùs dispalescit. Vos omnes &
singulos Reipublicæ nostræ concinnè adornatæ, Saxo-
niæ, totiqve Germaniæ diu salvos sospitet conservetqve
Deus Optimus Maximus. Quid dicam de Mercatu
hujus urbis famigeratissimo, & nundinis clarissimis?
Lipsia certè totius Misniæ nundinarum caput, ubi quis
merces non solùm, quas cunqve requisierit, sed plerasqve
etiam, de quibus ne cogitaverit quidem, & de quibus nec i-
pse nec alii multi quicquam fando audierint, expositas
videbit: idqve cum tanta in unoquoque genere copia,
ut non è multis civitatibus, sed ex orbis universi re-
gionibus coactas congregatasq; fuisse sit crediturus.

Tot tibi nostra dabit perpulchras Lipsia merces,

Hæc habet, ut dicas, quicquid in orbe fuit.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna race-
mos,

Æqvore quot pisces, fronde teguntur aves:

Quot rutilas coelum stellas, tot Lipsia merces,

Mercuriusqve suo prostat in emporio,

verissimè de Lipsia cecinit, quisquis fuit, Rarum verò

&

& id urbis exemplū est, cuius simile non facile reperitur, quæ scilicet literas docentibus & discentibus liberale domiciliū, & mercaturam exercentibus frequens emporium præbet. Quod cū Lipsia præclare præstet, fit indies penè major illius celebritas & opulentia. Quid verò Auditores? Num ædificia non ornant Lipsiam nostram? Ornant maximè. Licet enim civitas nostra, quantum ad Pomeria, finibus angustioribus sit comprehensa, quantum tamen ad ædes civium, omnibus fermè Germaniæ urbibus palmam intervertit. Annon enim de Aurbachiis ædibus apud exteros constat? Audiamus unicum Taubmannum de his ipsis ita canentem:

Misnia parva potest urbs dici Lipsia. Dicit

Aurbachæa domus Lipsia parva potest.

Quid autem porrò? Nonne Lipsia nostra elegantissimā totius Germaniæ Linguā est prædita? In confesso hoc & in confesso est tam apud incolas, quam accolas, & melius dignosci nequit, quam si cum Variscis, Saxonibus, Silesiis, imò aliis Misnicis colloquamur. Cui rei quoque fidem facit Divinus Scaliger, cuius dictum dignum censeo, quod splendidissimo huic auditorio reciteretur:

Lipsia se ostentat sublimibus aurea tectis,

Quæ non ulla quidem pulchrior esse potest.

Vectæ quibus ratibus longinquæ marmora terræ?

Unde frequens flavæ pura nitela Tagi?

Huc Cyprum, huc Temesum, huc Arabes, huc serica,
dices

Sedibus evulsa, huc India regna suis.

Cum gemmâ bibitur, vincuntur nectare gemmæ,

Sed Linguæ varius vincit utrumque nitor.

Ast quò provehor? Quò Lipsiacarum Virtutum
me flumen rapit? Singula si exequar, Ante

Adrian. Roman. in Parvo Theatro urbiū p. 118.

Virg. I. Æ-
neid.

Hor. Serm.
Lib. I. Sat. I.

Ante diem clauso componet vesper olympo.
Prærogativarum enim adhuc tam illustria concurrunt &
affluunt argumenta, &

adeò sunt multa, loqvacem ut
Delassare qveant Fabium.

Attamen prætermittere non possum Imperialem &
Regiam Lipsiæ nostræ laudem, **Religionem Or-
thodoxam.** Viget enim & floret in hac urbe **Re-
ligio Lutherana**, cum **Verbo Dei** ad amussim
congruens, cujus beneficiò multorum salus æterna
Promovetur. Quamvis enim olim sine **Deo** fuerim⁹,
ut & ipsi Romani atqve gentiles omnes; verùm Inef-
fabili **Dei Gratiâ** & Immensâ Bonitate jam dome-
stici **Dei** sumus, jam in Familiam & Nomen **Chri-
sti** cooptati, omnia filiorum familias Jura, Honores &
Privilegia omnia sumus consecvuti. Quæ una præro-
gativa meretur, ut Benignissimi & plus quàm paterni
Numinis Omnipotentiam & clementiam per omnes
seculorum decursus debeamus devotissimè venerari,
atqve nunqvam depositâ inenarrabilis beneficii memoriâ
perpetuò grati exclamare: **Sanctus, Sanctus, San-
ctus Dominus, Deus Exercituum**, plena
est omnis terra **Gloriæ Ejus**; Et quemadmo-
modum multa flumina statim ab ipsis fontibus tantâ
vi fluunt, ut naves onerarias subvehant, ut, quidem in
Gallia Ligerellus Aureliorum, in Hungaria Vagus; aut
aliquot pistrinenses molas intorqveant, uti in Ducatu
Wirtebergenfi Blavius: sic **Lumen Evangelii** Li-
psia

Ies. VI.

fiæ divinitus semel exortum, eam mox totam splendore suo complevit, radiisque gratisimis emortua, & ex glaciali Pontificiæ superstitionis bruma torpentia & rigentia pectora admirabili celeritate & virtute excitavit. Inde sequutum Pietatis certamen in omnium Ordinum hominibus. Templacivium frequentia & promiscua multitudinis copia tantâ celebrantur quotidie, ut vix in ulla civitate simile reperiatur exemplum. Quanti ergo Lipsienses sumus, quantum profecerimus, jam intelligitis, jam videtis, Auditores Lectissimi, ut vel incogitans, vel cæcus sit, qui hanc Prærogativam nostram non intelligat, non videat. O florentissima, ô beatissima civitas flore æternum, æternumque vale! Florete Arces Lipsiæ! Præclara valete Mœnia! Lipsia Misniæ Princeps flore, vire, vige, vale! Bona enim & ornamenta tua, ut magna verè sunt, ita ut salva salutariaque presentibus & posteris esse velit Deus omnis Bonitatis & Felicitatis Autor, assiduis ardentibusque votis exopto. Et quemadmodum Plato (licet Thaleti dictum hoc tribuat Diogenes Laertius) morti jam vicinus naturæ gratias egit olim, quòd natus esset homo, non bellua; masculus, non foemina; Græcus, non barbarus; Atheniensis, non Thebanus; præsertim verò Socratis temporibus: sic ego nunc Divinæ Majestati hymnos laudum & gratiarum devotò corde decanto & decantabo, quamdiu lucis hujus usurâ fruar, quòd me fecit hominem, quòd Christianum, quòd Germanum, quòd Misnicum, quòd Lipsiensem, & cum primis quòd vitæ meæ periodum in

Dress. Isag.
 Hist. p. m.
 391.

Laet. Div.
 Inst. Lib. 3.
 Cap. 19.
 Lib. I.

C

hoc



hoc felicissimum produxerit seculum, atq; ad tempora
Serenissimi & Potentissimi
Principis ac Domini, DOMINI
JOHANNIS GEORGII II. Ele-
ctoris ac Patriæ Patris Glo-
riosissimi.

D I X I



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Yc 4410 Bx

1017

mit



d. 88, 2.

O I

LA



JOHAN

Ty

O

US



indner/

79028)



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

